

.xxx. ITEM ALIA .

PARASCEVEN . id . est .vi^{ta}. dies sabbati que preparatio
interpretatur . eo quod omnia que in sabbato necessa-
ria sunt in illa preparantur . Ideo in solemnitate ha-
betur et colitur . quia in eo die christus mysterium crucis
expleuit . propter quod uenerat in hunc mundum . ut quia
ligno uetito percussi fueramus in adam . rursus
per ligni mysterium sanaremur a christo . Huius enim
causa triumphi . humana possilitas christo per omnem
mundum caelebritatem annuam prebet . pro eo quod
dignatus est sanguine passionis suę seculum redimere .
et peccatum mundi per crucem morte deuicta absoluere .
/73v/ Sciendum est autem quod crucis iniuriā non pertulit diuini
tatis substantia . sed sola suscepit humanitatis natu-
ra . Tribus igitur causis haec passio fuit . Prima causa
est . ut christus pro reatu mundi redemptio daretur . et hostis
antiquus uelut hamo crucis caperetur . scilicet . ut
quos obsorbuerat euomeret . et predam quam tenebat
ammitteret . non potentia uictus sed iustitia . non do-
minatione sed ratione . Secunda . ut securis post
se hominibus passionis et resurrectionis preberet
exemplum . passionis . ad firmandam et sustinendam
patientiam . sicut ipse sustinuit . resurrectionis . ad ex-
citandam et credendam spem ad uitam futuram . sicut
ille resurrexit . Tertia . ut superba seculi et inflata sapi-
entia . per crucis predicationem humiliata corrueret .
et pateret quod infirmum dei fortius sit . tota hominum
fortitudine . Inquirendum est autem cur hac die ecclesie
altaria suis indumentis spoliata denudantur . quia

in ea christus uestimentis suis exutus esse legitur . et uelum
templi scisum esse occiso christo per euangelium predica-
tur . Et in hac die luminaria in aeccllesia non accen-
duntur . quia in ipsa redemptore crucifixo sidera ob-
scurata sunt . Et in hac die sanctorum plebium presu-
les id est sacerdotes . diuinam clementiam dei pro salute
humani generis deprecantur . Primum prostatu to-
tius ecclesię christi . Deinde ut in fidelibus donetur
fides . et ab impietatisⁱ liberentur erroribus . ut
iudaeis ablato cordis uelamine . Lux ueritatis
appareat . ut heretici . catholicae fidei receptione
/74r/ resipiscant . ut scismatici . spiritum rediuuiuae caritatis accipi-
ant . ut lapsis . poenitentię remedia conferantur . Vt de-
nique catecuminis ad regenerationis sacramenta perduc-
tis . caelestis misericordię aula referetur . Atque ideo
haec omnia aguntur . quia pro horum omnium in hac
die sanguis effusus est christi saluatoris mundi . Intel-
ligendum est iterum quod in hac die a pontifice
et omni clero et cuncto populo christiano . species sanctę
crucis cum timore et tremore et omni honorificentia
cunctis iuxta conditionem uel aetatum ordinem ad eam
accedentibus salutatur . atque inclinato uultu ado-
ratur et osculatur . Quia plane dignissimum est . ut
passio redemptoris et lignum uitę a fidelibus in hora
redemptionis suę digna laude ueneretur . et ut omnes
audientes exempla teneant . et ita ordinatim ado-
rent dicentes . Ecce lignum crucis in quo salus mun-
di pependit . uenite adoremus . Et iterum . Crucem
tuam adoramus domine . et sanctam resurrectionem tuam
laudamus et glorificamus . ecce enim propter crucem .
uenit gaudium in uniuerso mundo . De cuius

honore sedulius dixit . Neue quis ignoret speciem
crucis esse colendam . Que dominum portauit ouans
ratione potenti . Quattuor inde plagas quadrati
colligit orbis . Splendidus auctoris . de uertice
fulget eos . Occiduo sacre lambuntur sidere
plantę . Arcton dextra tenet medium leua erigit
axem . Cunctaque de membris uiuit natura cre-
antis . Et cruce complexum christus regit undique
/74v/ mundum . Hoc quoque intuendum est quod non duo
ligna sed tria ibidem crucis habeantur breuia . Hoc
est transuersum lignum et in duas aequas diuisum par-
tes . Cuius latitudo est transuersum lignum . quo ex
tenduntur manus quę hilaritate significat . per ma-
nus enim opus intelligitur . per latitudinem hilaritas
operantis . Longitudo a latitudine deorsum usque
ad terram . In qua totum corpus extenditur ipsam
tolerantiam significat . ut longanimes permaneamus
tolerantes . Altitudo a latitudine sursum usque
ad caput . expectationem supernae retributionis
de sublimi dei iustitia significat . profundum uero
quod terrae infixum absconditur . inscrutabilia
dei iudicia indicat . De quibus occulta eius uolunta-
te uocatur homo ad participationem magnę gratię
dei . E quibus tripertitis lignis quando illa aperitur
capsa in qua crux saluatoris habetur recondita .
miri saporis flagrantia ác si omnium aromatum
mirabili plena suauitate exoritur . satians et letificans
omnes homines intra ecclesiam ibidem orantes . Nam de nobis
eorundem trinalium lignorum liquor quidam odorifer
quasi in similitudinem olei expressus uenit . cuius uidelicet
liquoris si paruula quedam stillulaⁱⁱ super egrotantes im-

ponatur . qualicumque languore uel morbo molestati fue
rint . Plenam recuperant corporum sanitatem . Item in hac
die sacramenta poenitus non caelebrantur . sed eucha
ristia in cena domini consecrata . post peractum officium
resumitur . quia `ut' innocentius papa testis est . Ex eo biduo
/75r/ quo crucifixus et sepultus est saluator . Apostoli et ama
tores christi in merore constituti . ab omni cybo se abstinue
runt . In hac iterum die . uespera cum silentio célébratur .
ut dominicę sepulturę quieti ueneratio exhibeatur . in
secula seculorum amen .

ⁱ impietatis] *corr. from* impietas

ⁱⁱ stillula] *corr. from* stilula